

Nos quia vexillis ex omnibus eligit omnes  
Prætor, & officium dat benè cuiq; suum.  
Stabimus illius, iussuq; sedebimus omnes,  
Eius & ad nutum dicere quisq; volet,  
Deniq; iudicium dabimus venerabile cunctis,  
Quod iuuet & populus comprobat ore suo.

## Decollatio seu amputatio capitis. Das Haupte abschlagen.

**I**udice qui coram reus accusatur iniquo,  
Impia tutari cùm sua facta nequit:  
Sed digitis vulgi, sed iudicis ore seueri,  
Dicitur & populis omnibus esse nocens.  
Nec poterit verbis nec re malefacta tueri,  
Causidici prompta nec releuatur ope.  
Ille Sacerdotem petat, & sua crimina fletu  
Testeturq; pio corde dolere sibi.  
Inde caput rigidæ feriendum sponte securi  
Collaq; carnifici præbeat ipse truci.

## Per lanceas aliquem agere. Einen durch die Spiz jagen.

**M**ilitiæ nullo constat Respublica pacto,  
Ordo sed infelix utilitate caret.  
Supplicijs princeps nisi conuenientibus omnes  
Plectat, & aduersum puniat omne scelus.  
Ergo duas etiam plateas fatalibus hastis,  
Constituit peditum sanguinolenta cohors.  
Quas reus aduersis transire miserrimus ausis,  
Cogitur, & mediam mortis inire viam.  
Vulnera cùm dantur, validæ stringuntur & hastæ,  
Signifer extremo fine locatus adest.

Dele-